

No. 5. 1218. 23. Jan.

Pabst Honorius III. nimmt das Kloster mit Personen und Gütern in seinen Schutz.

Honorius episcopus servus servorum dei dilectis filiis .. praeposito et canonicis ecclesiae sancti Thomae apostoli de Lipze Merseburgensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod iustum est et honestum, tam vigor aequitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilecti in domino filii, vestris iustis precibus grato concurrentes assensu personas vestras et ecclesiam, in qua divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, quae impraesentiarum rationabiliter possidet aut in futurum iustis modis praestante domino poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem parrochiam sancti Thomae, capellam sancti Petri, villam Boldewinestorp, Papendorp villam, duos mansos et duodecim areas in Lipz, allodium in Holswiz, villam de Geroldestorp cum terris et aliis pertinentiis suis, villam de Heyda cum viginti novem mansis et alia bona vestra, sicut ea omnia iuste ac pacifice possidetis, vobis et per vos eidem ecclesiae auctoritate apostolica confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae protectionis et confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praesumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursum. Datum Laterani X. Kal. Febr. pontificatus nostri anno secundo.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Leipzig mit dem Bleisiegel an rothen und gelben seidenen Fäden.
Vogel Leipz. Chron. S. 135. — Schöttgen u. Kreysig diplomat. Nachlese I. S. 47.

No. 6. 1219. 25. Juli.

König Friedrich II. bestätigt die Stiftung und Ausstattung des Thomasklosters.

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Friedericus dei gratia Romanorum rex semper augustus et rex Syciliae omnibus Christi fidelibus salutem in eo qui dat salutem regibus. Notum facimus universis praesentem paginam inspecturis, quod nos advertentes puram fidem et sinceram devotionem, quam praedilectus consanguineus noster Teodericus marchio Myssenensis et Orientalis nobis exhibuit, quia preces ipsius aure clementi semper admittere decrevimus, ad petitionem ipsius monasterium regularium canonicorum, quod ipse apud Lybzek fundavit et dotavit, legitimum censemus roboramus et autenticamus omnesque possessiones, quas nunc habent vel quas ipse marchio divina inspiratione in posterum de patrimonio suo seu de bonis marchiae Myssenensi attinentibus ipsis contulerit seu quas etiam iusto acquisitionis titulo acquisierint, auctoritate regali et sigilli nostri munimine ipsis confirmamus. Advocatiam quoque memorati monasterii nulli unquam personae nisi qui marchiam Mysse-